

### III.

## NE OVIDENSIS

Nro. 62. (Neovidensis 1808. Nro. 61.)

---

*Secretum litterarum commercium inter vivos  
et vita functos*

Elis Schröderheim ex Campis Elysiis ad quemdam  
suorum Familiarium in Svecia.

---

Elysium-Meum.-Die Veneris 12. Aug. 1808. (Neov. 26. Julii, 1808.)

---

**P**rius rationes Germani cujusdam Moralistæ  
te docere volo, atque candide animum oble-  
ctare tuum, quam hodiernum dulcis patriæ  
nostræ situm prodidero — moderato & patiente  
animo. —

Moderatio & patientia duæ sunt neces-  
sariæ, & pretiosæ animi dotes. Earum ope  
lenimus ægritudinem, doloresque, ex inopia  
& adversitatibus vitæ in nos penetrantes.  
Dantur mala, quæ nulla prudentia & provi-  
dentia prohiberi, mala, quæ nulla vi, nullo  
judicio, ubi in ea incidimus, sisti possunt,  
mala, quæ ex propria nostri imperfectione  
promanant, quæ summa virtus ex integro de-  
pellere nequit, quia summa virtus nævos &  
defectus suos habet. Adversus cuncta hæc  
mala præmunimur *moderatione & patientia*, ne  
ea, cum eminus miramur, serviliter metua-  
mus, neque metu majus præpondium iis con-  
ciliemus, & cum reapæ nos adoriuntur, in-

dignationem nostram sub eorum pondere mitigemus, sensuique ægritudinis majorem melioris notæ gaudiorum sensum opponere valeamus. Moderatio a naturali duritie æquedistat, quam a fanatica Insensibilitate Stoici. Est ea effectus sapientiæ, & imperii in animi nostri affectus; Animo nequit par esse ratio inopiam doloremque sentire, stimulusque felicitatem sectandi ei imperat, ut ea a se amoliat, at vero animus moderatus alimentum suæ moderationis capit ex sapientiâ, & recta intelligentia naturæ veri boni, & veri mali, seque solatur contemplatione obligationis: a natura inseparabilia onera, seu maia quoniam homines non Angeli nati sumus, perferendi. Quodsi non culpa nostra contraximus, ea cogitatione confirmatur: ab altiore ente sapienter ordinata, & ad nostrum bonum immissa est, si vero flebile hoc onus inconsiderate, & culpose nobis ipsi imposuimus, tum ægritudinem moderatio lenit erga nosmet ipsos, sapiente poenitudine super erroribus nostris, quæ deinceps majorem providentiam & moderationem pollicetur. Qua ratione fit: ut moestitiam & desperationem a nobis avertat, ut nos excitet, ipsum culpa nostra contractum malum prudentia in felicitatem nostram, dolorem in patientiam, & spem in auxilium divinæ providentiæ commutetur. Multæ ærumnæ amoveri & leniri possunt, si tanta hilaritate mentis polleamus, ut media adversus eas exquiramus, tantoque animi fortitudine, ea opportune, continuoque adpli-

cemus, ad hanc hilaritatem, & fortitudinem juvat moderatio, & hanc ipsam ob causam multis nos malis levat, aut eorum naturalem vim infirmit; multa mala nanciscuntur opprimens præpondium suum ab imaginatio- nis vi; moderatio, utpote partus sapientiæ, præsentis malo terrificam formam, cui imagi- natio id involvit, exiit, puerilemque pusil- lanimitatem amolitur. — Defectus, quibus pru- denter uti possemus, opum, ita nos docet moderatio, malum est, at opes contemnere, quia ad felicitatem nostram nihil conferunt, animo tranquillitatem & magnitudinem pro- curant. Optimi mortalium iis carere pote- rant, & paucis contenti fuerant. Tu eas pos- sedisti & citra culpam ammittis, solatii satis! earum incrementum fortassis bonitatem tui animi suffocasset, atque pravas affectiones excitasset; desunt tibi commoditates vitæ, quibus ante fruebare, at sub iis non emol- liebare, atque necessaria vivendi tibi provi- dentia nunquam denegat. In hoc spe sola- tiorum sat reperis!

Moderatio animi, effectus sapientiæ, ingra- tæ impressioni ærumnarum, fortiorem, & amœ- nio-riorem majoris boni impressionem opponit. Honorem, quo dignus es, non consequi, bo- nam famam, quam adeptus es, calumniis, & dolo improborum ammittere, te convitiis, opprobriis, contemptui, postquam voluptate aestimationis publicæ perfruebare, patere in- telligere, dura est sane, & dolorosa sors; at quantum ex ea moderatio non detrahit? quan-

tum de gravitate non adimit? Multum, ita felicem illum affatur, multum jacturæ tulisti, at solummodo bonum externum, Echo tantum honoris, non vero ipsius honoris vocem, quæ e conscientia promanat. Bonus perseveras, etiamsi universi orbis contraria est sententia. Adplausus hominum genuinam dignitatem tuam tam parum extollit, quam vituperium extenuat.

„In fastigio officiorum consistis, vide fessa tela ex valle Calumniarum in te jacta, ut pedibus tuis advolvantur. Insiste eis fortiter, et iis innixus altius adhuc extollere te conare.” Probum, meritum aut innocentia tua non latebit, oculusque omnipotentis videt, dirimitque valorem tuum, etiamsi orbis non advertat. Nobilissimi hominum adplausum stolidorum contempsere, placide in via boni decurrentes; vade et tu, et senti voluptatem: egisse recte, et vilipende immeritum pudorem, hoc enim magnaminitatis est. An eo miseriarum venire velles: ut gloriam obtineas, quam non mereris, et serpente metu defendendum habes? quid, quæso, est externa gloria (sonus ambiguus, et vanitatis somnium; quid verus pudor? flagitium, qua re cunctos vincere vales? metu omnipotentis! Ergo tranquillo macte animo, et officium alacriter urge, occurre calumnianti, cavillanti, te laedenti, non cum odio, sed cum prudentia declina, cum bona ratione delassare, et sapienti agendi modo ad ruborem perducere stude. Veniam impende ob ægritudinem, quam

tibi intulit, & si non aliter quam publica auctoritate eam amoliri potes, Jus tuum prudenter, & absque amaritudine erga lædentem prosequere.

En ut moderatio, fructus boni nobilisque animi sub onere molestissimarum adjectorum nos credos teneat! verum est, non semper ea sibi constat, nihilominus mox vires restaurat, si quasvis adversitates ei ademerat, querulatur ea quidem, sed non furit, æquissimas querelas præsidio virtutis & sapientiæ temperat.

Hæc amice instar prodromi! Equidem solummodo id genus moralibus rationibus, animo tranquillitatem adferre queo, dum officiosas Petropoli de 2. Julii lego relationes; ad rem igitur:

Die 7. Julii 6 hora vespertina prodierunt in conspectum Svecica navigia favente vento ex averso Insularum & momento citius ad Juverierum 12milliaribus austrum versus ab urbe Abo sitam oram adpulerunt, quod hostis tanta cum celeritate executus est, ut Cosaci in stationibus consistentes vix subducere se potuerint, ad nuncium ad urbem perferendum.

Copiæ continentales hostiles sub imperio Gen. Ducis Vegesack constabant 70 prætorianis equitibus, & circiter 1000 prætoriiis peditibus, senisque tres libras continentibus bellicis machinis, 3000 Holmensis sagatæ militiæ, & totidem optimæ Alandinæ Venatoriæ legionis millibus — ad jussum regis 20

navibus vectoriis & numerosis accessoriis, militarique adparatu adpulere, ad urbem Abo omni impensa occupandam. Ad reditum tuendum Classiculam cum aliquot navigiis reservatam tenebant, Russi inaudita intrepiditate Svecis occurrere, mox pertinacissima & dirissima pugna cepit, 18 horis incessanter durans, usque Svæci pedem referre coacti. — Præter complures ex parte Russorum Officiales circiter 300 vulnerati, hostis prope 1000 casus partim sauciatos 27 in Captivitatem abductos numerabat. Eodem die hostis ad oppidum Ingo adpulsus est; ita officiosa sonat relatio.

Amice! stupet mens hæc cogitando. An mente comprehendi potest: populares nostros manipulo aliquot millium Finniam peti- turos, grandi potentique Russiæ semet op- posituros, ad obruendam recuperandamque provinciam? crediderim proportionem no- stram erga Russiam adeo inæqualem, ut situs natura omnem renitendi animum debeat adi- mere; quod si 30 armatorum millia Finniæ infundere possemus, quid juvaret? Russi du- plo majores copias expedirent, quid igitur juvat velle adversus immanem hanc disprop- ortionem pugnare? quid prodest manipu- lum Finniæ infundere? profecto res para- doxa!

Et quæ Amice dulcissime! ratio adjun- ctorum nostrorum, dum seqv. Hafnia legun- tur: de 12. Julii. Anglicana expeditio Go- thenburgo, cujus missioni tot diversi facti

assignabantur, qui tamen omnes sedulo custoditum Anglicani Ministerii arcanum perseveraverunt. — Concordi relationum sine subdactu Ducis sui Admiralis Saumarez abinde secundum quosdam ignotæ destinationi satisfactura; secundum alios brevissimam viam in patriam initura discesserat, die 3. hujus in mari Septentrionali meridiem inter & occidentem versus navigare conspiciebatur, ut Telegraphicæ relationes perhibent Angli ante discessum omnem commotum Svecis tradidisse feruntur.

Privatæ litteræ ex Norvegia referunt: agmen exercitus nostri, Classicula Præfectinavalis Fischer fultum, in vicinia Stromstadt aliquot hostilia in Annonaria concremasse, & ultra 400 captivitatem abduxisse.

Constat jam exercitum Svecicum adversus Norvegiam eductum 20000 armatos, legiones Dalekariæ, prætoriam Turmam Ducis Caroli, legionem Waermelandicam, venatores Waermeland. legiones porro Uppland. Skaraborg. Bahasinam Elfsborgicam, pyrobolarios item Wredicos, sub auspiciis Gen. Ducis Armsfeld & Vegsack comprehendisse. Exercitus contra Norvegicus, quamvis diffusam maritimam oram defendendam habeat, principio 12, postea ad summum 16000 completebatur, Sveci huic molimini minimum 3 millia impendere, contra jactura Norvegicarum copiarum vix decimam partem efficit.

Quid ex dulci patria nostra fiet? — Ex parte Angliæ sat argumentorum jam suppe-

tit: Cui deinceps fidendum habeat, quibus utique ad pacis consilia moveri debet. O Care Amice! quam lugubres prospectus!

*G e r m a n i a.*

Ex regione Moeni die 27. Julii. Hodie multi equi M. Ducis Bergæ Düsseldorfio per hanc regionem traducti. In Neapolitanum tendere feruntur; quo continuo publica opinio confirmatur: M. Ducem Regno Neapolitano admotum iri.

*B I O G R A P H I A.*

Schröderheim (Elis) Regius Svecicus Status Consiliarius, Capitaneus provincialis, Commendator Ord. Stellæ borealis, ex XVIII viris Academiæ Svecicæ; natus Holmiæ die 26. Mart. 1747. denatus 30. Augusti 1795. unus erat e præcipuis Clientibus Gustavi III. Regis. Fuit vir vastæ politioris rerum cognitionis: qui multis præclaris orationibus, in diversis Academiis Eruditisque societatibus, quibus adlectus erat, excelluit. Quæ uberius legi possunt in Memorialibus eidem ab Cels. Adlerboth dicatis, & Holmiæ 1796 editis.

---